Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De vita Francisci Xaverii, qui primus e Societate Jesu in Indiam & Japoniam Evangelium invexit - Cod. Ettenheim-Münster 188

Torsellini, Orazio

[S.l.], nach 1607

Caput XIIII.

urn:nbn:de:bsz:31-115990

Visual Library

Vide Liber 2.9

mitteret, curaturos in ea insula res Christia-
nam. Id confestim remisso in Comorinum promon-
torium Mansilla ipse ex Coilano ob eam, quam
suprà demonstravimus, causam trajicit Nagapa-
tanum. Sed totus ille apparatus, Francisci[que] spe
expectatio, cum haud procul à justo bello ac
victoria abesse videretur, subitò ad nihilum reci-
dit. Quippe eodem tempore navim regis Lusitani
(ea pretiosis onusta mercibus à regno Peguano
in Indiam repetebat) in Jafanapatanum litora
tempestatis appulsam, extemplò barbarus inva-
serat Rex. Lusitanus Praetor regio negotio
serviens donec regia bona recuperarentur, su-
persedit bello: ita interposita mora, ut fit,
bellum differendo dissuevit. Ceterum id ipsum
bellum deinde Xaverio induxit Deus. Haud ita multo
post Tyrannus ille à Constantino Indiae Pro-
rege, multis cladibus fractus: Manaria insu-
la eidem dempta: incolae omnes ad Christum
adjuncti; ita paucorum mors pro Christo obi-
ta multis libertatem ac salutem peperit.
Franciscus igitur, ne gratuitus esset susceptus
itineris labor; et simul vento obsequens,
qui adversus regredienti, progredienti secundus
erat, cursum et consilium vertit.

Sancti Thomae sepulchrum visit
Cap. XIIII.

Aedes Thomae Apostoli, et sacris ejus reliquiis,
et Indorum peregrè visentium frequentia
maximè inclyta, aberat ab eo loco non amplius
CL. millia passuum. Eò igitur pauperis pe-
regrini ritu ire decrevit, eo consilio, ut Apo-
stolorum veneratus Malacam, inde si visum Deo
aliter visum foret, ad Macassariam pergeret,
quò lectis subinde nuntiis vocabatur. Cognovit

enim

enim super illis locis magnam esse animorum
praeparationem ad Evangelij satis accipiendi,
plurimorumque conversioni atque baptismo nihil
praeter Sacerdotum penuriam obstare. Ergo
in exitu ferme Quadragesimae Nagapatano sol
vit, vento secundiore quam certo. Jam ad
XL. millia passuum provectus erat, cum ad-
versa tempestas navim in obvio quodam
portu septem subsistere coegit dies. Ubi Xa
verius peregrinationis susceptae magis, quam
humanae imbecillitatis memor, insigne absti

Septem dies sine cibo traduxit.

nentiae documentum dedit. Quippe totum id
tempus (: uti postea ii, qui ejus corpus curabant,
jurati affirmarunt :/ sine ullo penitus traduxit
cibo; utpote qui Apostoli visendi cupidine
accensus, caelestibus cogitationibus pasceretur.
Unde nautis vela facientibus, quaerit ex
gubernatore, satisne firma sit navis ac nauti-
ca, respondetur veterem esse, infirmamque.

Praedicit nautis imminentem tempestatem.

Tum ille, Nagapatanum, inquit, nimirum
revertendum est; saeva enim nobis impen
det procella. Nec irrita, etsi minus credi
ta, vaticinatio fuit. Cum gubernator solita
marisque specie deceptus, cursum sociis porro
porrigeret, repente foeda tempestas coorta
Nagapatanum (: uti Franciscus praedixerat :/
non sine periculo repetere subegit navim.
Tum vero notata res a vectoribus nautisque,
et pro vaticinatione habita. At Franciscus
etsi locum destinatum adverso rejectus vento te-
nere non potuit, propositum tamen animi
constantia tenuit, atque eo pedes majore tum
labore, tum merito, deinde pervenit. Oppidum

Meliapora oppidum S. Thomae

est Meliapora Lusitanorum, sane frequens
et copiosum in ora maritima Indiae, pari
ferme spatio (: si maritimos anfractus spectes :/

Zemnas

leucarum 3 millior[um] ducentarum à Comorino pro-
montorio, et à (inferiori) flumine Gange positum,
in Satamania nobilis quondam urbis fortitan
excitatum ruinis. Eo in oppido ædes est Thomæ
Apostoli, ubi illum indigenæ cæteriq[ue] Indi sepul-
turæ mandatum perhibent. Eiq[ue] rei multa vetu-
state haud sanè contemnenda extant indicia. Visitur
ibidem locus, ubi Apostolus mortem oppetiisse
sacellumq[ue], ubi rem Divinam fecisse dicitur:
quod sacellum Lusitani, pro sua religione, magni-
fico donarant templo; et oppidum ipsum S.
Thomæ nomine appellarunt. In eo sacello nu- *Corpus S. Thomæ Apostoli*
per, cum ad novæ ædis fundamenta terram
altius effoderent, corpus Apostoli cum ferro quo
interfectus est, et vasculo arenæ cruentæ pleno
repertum, ac deinde ibidem repositum ferunt.
Nec vana fides aut dubia. Hanc inveteratam
indigenarum advenarumq[ue] de Thomæ Apostoli
corpore ac martyrio opinionem Deus anniver-
sario ac perpetuo confirmat miraculo. Quippe *Anniversariū miraculum*
saxum est quod cor Apostoli sanguine respor-
sum, quod adhuc conservat quasi recentis
cruoris vestigia, triduoq[ue] ante diem S. Thomæ
sacrum: quo illum die pro religione interemptum
esse traditur. Interea dum missæ sacrificium
ibidem peragitur, saxum, quod ibi, natura candi-
dum, sensim rubescit, sudatq[ue] quasi sanguinis
guttis undequaque manantibus. Absoluto de-
mum sacro, ad pristinum colorem revertitur. Quo
circa Apostoli sepulcrum ab Ethnicis juxta Chri-
stianisq[ue] eximia veneratione colitur. Huc quippe
maximi fiunt undique peregrinorum etiam Ethni-
corum concursus, Apostoli martyrium et sepulcrum
celebrantium. Eodem itaq[ue] Xaverius, pro suo erga
S. Thomam Indiæ Patronum studio, peregri-
nantium ritu habituq[ue] venit, Apostolici sepulcri

celebrandi

celebritati favens, pariter et accolarum saluti.
Erant tum in oppido, praeter indigenas plurimos
familiae circiter centum Lusitanorum, qui fortu-
narum ibi suarum domicilium collocarant. Huc
igitur ut pervenit Xaverius, Indorum Apostolum
S. cuius egregiam gloriam admirans, quantum
mortali fas erat, virtutes aemulabatur, non
minus religiosè, quàm avidè salutavit. Ac pri-
mum Deum intentius precatus est, ut quando
ipse hominis nullius pretij eligeretur ad
tanti Apostoli qualemcunque in Indis ad
Christum convertendis imitationem, numen
aliquid sibi Apostolicae inspiraret virtutis.
S. Thomam deinde impensè oravit pro sua
Indorum tutela ac patrocinio, ut illo depreca-
tore in India caeterisque barbarorum regionibus
peragrandis colendisque, nec animus ipsi ad
discrimina subeunda, nec vires ad perferen-
dos labores deessent; neu sua aut cujusquam
delicta impedirent, quominus ipse quoque
in Domini agro messis reliquias, Ruthae
Moabitidis exemplo, messorum sequens ve-
stigia, colligeret, et tritici aliquid pro virili
parte in Christi reponeret horreum. Inde,
cum sui Apostoli desiderium paulisper ex-
plevisset, ad Episcopi vicarium se quod facere
solebat, ubi valetudinarium aut Xenodochium, re-
ceptaculumve hominum sedes nulla erat, divertit.
Eumque sibi non solita modò erga Praepositos
Ecclesiae modestia, sed insita etiam affabilitate
sermonis, & nuda simplicitate, devinxit. Nam
semel illi totum indicans pectusque, ut dicitur,
aperiens; facilè eum pellexit, ut invicem ipsi
pectus ostenderet suum. Hac, quam dixi, ra-
tione non magis ad parandos amicos, quam
ad servandos quos amicitia dignos judicasset

Ratio parandi
retinendique a-
micos.

Xaverij videbatur: nimirum ut perspectos iam
eorum animos paullatim imbueret quorumque
ipsorum rationes divinique obsequij ratio postularet.
Eumdem igitur Xaverij sermonem pari comitate
Meliapurensis Vicarius excepit: divinumque egre-
gium in præsentia complexus, nemini deinde
in eius caritate et observantia cessit: utique
postea quam certissima sanctitatis illius indi-
cia eminere cognovit. Ex sermonibus cum
Francisco habitis, eiusque confessionibus, Vicarius
penitus perspexit, sicut deinde illo mortuo iuratus
affirmavit, cuius rei testimonium rite obsignatum
est apud nos, Xaverium eodem castimoniæ
virginali flore, cum quo natus esset. Fuit in
hospitio Francisci apud Vicarium Meliapuræ
tres quatuorve menses, magno vel oppidanorum
bono, vel suo. Plures enim ex flagitiorum coeno
extraxit: meretricios amores, quos dissolvere
nequiverat, nuptijs conglutinavit: dissidentes
odijs inter se in pristinam restituit gratiam:
multos ac gravibus flagitijs sceleribusque ir-
retitos expedivit. Nec verò, dum prodesset a-
lijs, deerat sibi. Erat divinarum rerum contem-
plationi deditus noctu maximè, cum ab usitatis
occupationibus vacaret. Quocirca sæpe usu
venit, ut eum concubia nocte ac multa repertum
domum orantem in ædis Apostolicæ quopiam
offenderent angulo. Quippe per id tempus dubius
animi, transgredereturne ad Macassarios, an in In-
diam rediret, satis incertus, in sanctissima A-
postoli æde consulebat Deum: totasque ferè
noctes cum magno animi motu perpetuis
vigilijs agens, modò sanctissimam Christi pa-
rentem, modò Thomam Apostolum, cæterosque
cælestes deprecatores adhibebat. Demum in

Virginalis Xaverij casti-monia.

credibili

credibili divinitus gaudio delibutus, decrevit Deo cordi eſſe, ut proficiſceretur ad Macaſſarios: non quidem (id quod poſtea intellectum eſt) ut ipſos erudiret, ſed ut alios populos, qui erant in via, minus illi notos, magisque opis egentes, adjuvaret. Ergo divinae voluntatis exſequendae cupidus, occaſionem tranſmittendi primo quoque tempore Malacam captare coepit, et Luſitanae navis facultas deeſſet, Saracena, Ethnicave aliqua uſurus: tantamque ſe Dei fiduciam habere dicebat, ut ſi nullius navis onerariae foret copia, et ſcapha quapiam Malacam verſus ſolveret, divinā ope fretus, illa ipſa aliquem trajecturus eſſet. Adeo certum ac firmum habebat omnino exſequi quod auctore ſuſceperat Deo.

Divino inſtinctu in ulteriora Orientis tendere ſtatuit.

Dei fiducia

A Daemonibus caeſus tamen in oratione pernoctat.

Caput XV.

Inter haec apud Vicarium, ut oſtendimus, diverſanti quiddam in hoc genere ſane memoria dignum accidit. Erant aedes Vicarij templo Apoſtoli proximae, unde ille, januam facta, aditum ſibi patefecerat in templum. Et Xaverius ex conſuetudine, ut Vicarium cujus in cubiculo pariter dormiebat, ſopore oppreſſum animadverterat, ſenſim ac ſine ullo ſtrepitu ſurgebat è lectulo, atque in aedem Apoſtoli ſuſpenſo ſubrepebat gradu. Non tamen fallebat omnino Vicarium, qui ſubito experrectus, ſaepius illum ſurgere è lecto perſenſerat. Verum is, re primum diſſimulata, demum illi pro amicitia denuntiavit, ne de nocte iret ad templum; neu ſe nimis committeret, quam conſtaret eſſe daemonibus infeſtum: occurſare et horribiles illorum facies; cum minime crederet. Ad haec arriſit